



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 2. De linguarum studio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

## §. II.

*De Linguarum studio.*

Linguarum studium de se nec difficultate, nec tædio caret: altera vero ex parte homo ex primæva naturæ inclinatione deses, ac laboris impatiens est: quapropter ob duplicem hanc rationem politiorum linguarum studia jacebant neglecta, & quidem ab eo adhuc tempore, quo scholis ea redierat tranquillitas, qua per Barbarorum incurfus diu privatæ exstiterant.

## §. III.

*De idiomate latino.*

Tum folius latini idiomatis cura habebatur, & tamen soli ferme erant Ecclesiastici, qui hanc linguam callebant, quamvis in horum numero etiam Monachos, ac Religiosos comprehendamus. Equidem hujus idiomatis peritia Clero tam Regulari, quam sæculari omni tempore erat necessaria, ac sine illius studio nec Sacræ Paginæ, nec Theologiæ, jurisque Canonici libri intelligi, imo nec Divina Officia, prout tum in Ecclesia usitata erant, recitari poterant: æst corrupto illo, de quo loquimur, sæculo hæc eadem lingua ab ea puritate, elegantia, ac concinnitate, qua Augusti ætate florebat, tantopere degenerabat,